

Q. N. 379, 22.

(X 1904122)

II n
6458

7

CONSILIUM,
quod
Pro redintegrando
POLONORUM
REGNO

Amicorum integerrimo

intimabat

HUSANES DE GEMLABBURBITS
GEMLABBURBITSKY.

BIBLIOTHECA
PONTICAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)



COPIA
DE
LIBRO
S. GREGORII
PAPAE
IN
S. IULIANI
ABBATIS
DE
S. GREGORIO
ABBATIS
DE
S. GREGORIO



Q
ne
no
ge
po
ext
ce
lic
vita
da
eli
spi
&
lita
fue
ret
da
to
ha
syn
bu
pli
or
Q
de
ta
in
m
In
tu
G





QUæro adhucdum in Polonia Poloniam. Reginae fata nondum calamitatis peperere fata. Defuncta prosperitas nondum reviviscit, nec viva emoritur miseria. Sarmatia suos adhuc patitur manes. Nullus non quidem indubitata alebatur spe, fore ut Reginae mors, mortem generaret factionum, quæ à tot trucibus bellis lacerum regnum, etiam post almam cum exteris initam pacem, in diversas scindere partes, ac extremæ ruinæ tradere nefario nisu fategere; sed nidus omnis adhuc cernitur mali. Fœdâ labe infecta vix respirare valet. Nullus artus Gallici exors morbi, qui nisi tollatur ante, quàm ad iliorum intima, & ad vitæ principium penetret, de tota corporis machina, ac eleganti quondam structura actum fore, credendum est. Squalidi latices ante omnia eliminandi, vel per Emetica & Cathartica, vel per insensibilem transpirationem. Medendi methodica ratio quidem suaderet inveterato & tenaci huic humori violentiam opponere, nisi corporis ob imbecillitatem, motus violentus judicaretur periculosus, & natura malo assueta repente si eo privatur, concidere non labefactari duntaxat sole-
 ret. Si enim vis adhiberetur Emetica, uno impetu factio esset ejiciens da Gallica, quæ huic quondam apprimè sano corpori tot turbas dedit, totque causavit convulsiones & anfractuosa ipsamos. Sed præceptis hæc violentia haud est periculi expers, cum Gallicus hic morbus symptomatum syndromen sibi habeat comitem. Tartara Colicica bulimia unde Polono reddita familiaris? à Gallo. Quis Moschorum plicâ devenustavit Poloniam? Gallus. Quis Suecorum Icorbuto dedit originem? Gallus. Luc Pannonicâ Sarmatiam quis infecit? Gallus. Quis querqueram arthritidem cum Colica in Polonia reddidit Epidemicam? Gallus. Quis Turcici Maslach esum invexit? Gallus. Quis tandem omnem massam sanguineam abominando contagio morbi inquinavit Gallici? Gallus. Nec contentus Gallus corpus infestare, animam quoque nescio quâ Circæa Metamorphosi dedecorare satêgit. Ingens porcorum, ursorum, luporum, vulpium & accipitrum reperitur caterva. Non pauci ceu loto saturi, libertatis pristinae immemores Gallicæ se mancipare gestiunt servituti.

lit. 10

pavit servilis. Sicut Troës Troës; ita Poloni fuère Poloni. Anima principem suam facultatem auro cessit Gallico, cui turpiter parere haud erubescit, amplius ratiocinari ignara, libertatem esse servitute potiorrem, & Poloni proprium esse Gallum averfari. Sarmaticum solum Gallicum eructare Liliū, illudque non fragrantia recreare, sed foetore infestare Polonorum nares, profugus ex hoc Regno quondam docuit ille Andegavensis Henricus, ut & defuncta Regina, quæ nauseam semper, quia eam ad eructandam non satis robusta natura, ciebat. Sunt duo incompatibilia Gallus & Polonus, hic libertatis, ille servitutis amans. Gallus imperare gestit, & Polonus servire nescit. Nullum imperium, quod absolutum vult Gallus, tolerare potest Polonus. Princeps Galli cura libertate in frangenda, Poloni in servanda. Monarchiam universalem meditans, ideam suæ impiæ potentiaë auspicaretur in Polonia. Mancipia tractare luctus, ingenuos nisi offendere nescit. Iisdem avaris manibus, quas modo injustissimè in Flandriam extendit, ad uncioribus forsitan unguibus munitis in Poloniam sæviret. Harpyarum partus est relictus, &

Tristius haud illo monstrum, nec sævior ulla
 Pestis & ira Deūm, stygiis sese extulit undis:
 Tantum hominum vultus portant, fœdissima ventris
 Ingluvies, unæque manus & pallida semper
 Ora fame.

Quoties Gallus cantat, toties Petrum imitari, pœnitentiamque meditari debet Polonus, ac precibus Cœlum sollicitare, quo Gallico à morbo immunis existat. Nunquam felicitatem Polono dedit Gallus, Cometæ instar semper fuit, non nisi infausta apportantis. Quid fortunæ ex animis pepererit, rudera loquuntur. Infelicissima in hoc duntaxat felix, quod post mortem etiam miraculosè parturiat, sed monstrosa infecta, omnem salutis florem depalcentia. Sarmaticus aquila Liliū sub umbra neutiquam quiescere amat, nec refocillatio speranda ubi umbra nulla, præterquam quod Liliū vanè superbiat & pomposè se ostendet, habet nihil. Anima, inquam, Polonici corporis læsa. Comērcia, quæ Rerump. anima, corrupta, introductâ novâ illâ monetâ, quæ plus nocuementi, quàm quotquot fuère hostes, intulit. Cuprea est, ut indicet, aureo relegato seculo, introductum cupreum, & exterminatâ aureâ libertate, introductam esse cupreâ servitute, cujus specimen jam

exhibitum, in, ad macellum deductis tot Proceribus & Nobilibus. Evidentissimum est, à Polonici corporis contaminatione, contagium & animæ esse affricatum, quæ non, nisi eo restituto, sanari potest. Restitui autem nequit, nisi pravi & peccantes exhauriuntur humores. Hos autem violento exturbare medicamine est inconsultum, cum sic corporis structura nimis alteraretur, perturbaretur, & conquassaretur. Lenissimum medicamentum semper tutissimum. Factio Gallica quidem ut vi exorta, ita & vi annihilari deberet; sed multa sic perirent membra, quæ facta recta vult Polonia. Quid ergo remedii, pestifero quod huic proportionatum morbo? Insensibilem forsitan per transpirationem cispellendos esse humores ais? sed quomodo? Semotionem forte Regis à throno suades? Non, abhorret enim Polonicus genius violento à tali remedio, & ab improba hujusmodi tyrannide. Germania quidem, cui eadem quæ Reip. Polonicæ facies, hanc deponendi rationem in Wenceslao & Adolpho Nassoviensi exercuit, principio nisa: Ejus esse deponere, cujus est eligere, & habentem jus conferendi, habere etiam destituendi. Verum ut hæc ad speciem magis, quàm ad usum dicuntur; ita illa potentia & actus depositionis non fuit analogus, sed anomalus, nec non nisi turbato rerum, & naturæ ordine contigit. Non enim Rex postulatur ut Medicus, cujus imperia durant, quamdiu placet ægroto. Hinc rectè Valerianus Imperator ad Prætorianos: Ut me ad imperium eligeritis in vestra erat potestate, sed postquam electus sum, non vestro, sed meo pareatis necesse est, arbitrio. Rex noster optimus, nulli errori, multo minus crimini obnoxius, potius duplex diadema, quàm unius meretur privationem. Falcibus Imperii moderandis adhuc par, & in vivido ætatis articulo constitutus, nihil nisi reiterandas meditari debet nuptias, quæ solæ præsentissimum medicamen, quod radicatis morbi Gallici viribus opponi potest, hoc *ἀνοηγή κατὰ*, insensibiliter tamen rancidos exturbabit latices. Longè aptissimum, nec non consultissimum matrimonii fuisset foedus, cum Danorum Regis filiarum una, nisi occasio illud ineundi jam esset amissa. Obstaculi nihil Lutheranismus, cui Dania addicta, dedisset, cum Poloniæ intersit diversas tolerare religiones, hæ, quamdiu viguere, inconcussam servare Rempublicam, & quibus excisis, omnis fuit exul salus. Sacrorum libertas florentes reddidit Respublicas, Percurramus omnes & visuri sumus tantum in-

int. 10

columes, & in culmine felicitatis sedentes eas, quæ sacris diversis concedunt hospitia. Religionum si schisma Reip. furaretur incolumitatem, sanè Stephanorum, Sigismundorum & Uladislaurum, illud tolerantia secula infaustissima fuissent; sed ipsa beatitudine beatiora Casimirianum seculum nominant infaustum & infelicissimum, quod ignis ferrique truculenta diritate Romana ab Ecclesia discrepantes perlequi allaborat. Stolidissimum est illud toxicum credere, quod alii non dissimili morbo laborantes pro antidoto habent. Bataviam, dissonantia sacra, sacram faciunt, quam non paucæ imitari satagunt Resp. Otomannicus Cerberus sui regiminis nunquam firmamentum haberet tam solidum, nisi nullis non religionibus daret locum. Commercia & negotiationes ex diversarum religionum anima, suam trahunt vitam. Si vis Reip. salutem, floreat fac commercia; Si hæc aves, non tantum perfer, sed & diversa allice, imò attrahe numina. Hæreticorum titulo multi insigniuntur à multis, sed nescientibus veram hæretici definitionem. Si Augustinum Sarmatia audivisset, qui, Epistola centesima sexagesima secunda, & in libro de utilitate credendi, Hæreticum illum nuncupat, qui alicujus temporalis commodi & maximè gloriæ principatusque sui gratia, fallas ac novas opiniones vel gignit vel sequitur, sanè Arrianos non extorres fecisset, qui non principatûs cupiditate tanquam hæresium matre diversas sectantur opiniones, sed mera mentis caligine piâ commiseratione digna. Passionum nisi Polonia fuisset mancipium, Salviano de Arianis ita loquenti aurem præbuisset:

„ Hæretici sunt, sed non scientes: denique apud nos sunt hæretici,
 „ apud se non sunt: nam in tantum se Catholicos esse judicant, ut nos
 „ ipsos titulo hæreticæ pravitatis infament. Quod ergo illi nobis sunt,
 „ & hoc nos illis. Nos illos injuriam divinæ generationi facere certi
 „ sumus, quod minorem patre filium dicant. Illi nos injuriosos patri
 „ stimant, quod æquales esse credamus. Veritas apud nos est, sed illi
 „ apud se esse præsumunt. Honos Dei apud nos est, sed illi hoc arbi-
 „ trantur honorem divinitatis quod credunt. Inofficiosi sunt, sed illis
 „ hoc est summum religionis officium. Impii sunt, sed hoc putant ve-
 „ ram esse pietatem. Errant ergo, sed bono animo errant, non odio, sed
 „ affectu Dei, honorare se Dominum, atque amare credentes. Quam-
 „ vis non habeant rectam fidem, illi tamen hoc perfectam Dei æsti-
 mant

„mant caritatem, & qualiter pro hoc ipso falsæ opinionis errore in die
 „iudicii puniendi sint, nemo potest scire nisi iudex. Interim idcirco
 „eis, ut reor, patientiam Deus commodat, quia videt eos etsi non re-
 „ctè credere, affectu tamen piæ opinionis errare. Etsi Iudæorum cæ-
 „tui sua datur devotio libera & non impedita, utique quæ neque statûs
 „rationi, nec ecclesiastico gregi quicquam derogat emolumentum, cur
 „non idem indulgendum Arianis privilegium & immunitas? Sectæ o-
 „mnes quæ virtutem præstant, nec publicæ incommodant tranquilli-
 „tati, sua gaudere debent libertate, qualis & Judaica, de qua Augusti-
 „num dixisse, Philo in legatione, & in libro de sacrificantibus, comme-
 „morat: non eorum conventus bachanalia esse, aut cætus turbandæ pa-
 „ci, sed virtutum scholas. Qui in tales sæviunt ipsi in ea causa sunt, ut pu-
 „niri justè possint, cui sententiæ & Sanctus Thomas subscribere non ve-
 „retur. Polonia tamen susque deque habita hæc sapientum bigâ, quam 2. 2. 1. c
 „tamen pro orthodoxis habere, & cuius dogmata pro regula observa-
 „re sese jactitat, Judæos stygio odio prosequitur, & Arianos extermina-
 „tos voluit. Quod Agathias de Alemannorum absurdis superstitioni- Hist. 10
 „bus sensit, hoc de Arianis & de cunctis quos errare arbitrantur sentire
 „deberent, cujus verba verè aurea & mentem verè piam apponere non
 „dubito: Miseratione quàm odio digniores sunt, ac tales quibus igno-
 „sci par sit, quicumque à vero aberrant. Neque enim volentes palantur,
 „& cæspitant, sed cum bonum appetunt, in iudicando decepti, quæ se-
 „mel visa sunt retinent mordicus, qualiacunque ea fuerint. Ethnici
 „dissonas à sua devotione religiones semper æquo tulere animo, testi-
 „bus annalium monumentis, & Christiani suos confratres, quos Chri-
 „stianos appellare tenentur, eliminant, non considerantes, Christianos
 „non esse Christianos, nisi opera Christianismi elucescant; Sed quæ hic
 „fidei opera? Loco amoris nihil nisi odium, loco misericordiæ nihil ni-
 „si persecutio, loco ballami præter ferrum nihil. Quis ergo negare au-
 „deat, Christianos & quidem Catholicos, omnes paganos impietate &
 „præpostera religionis prænsatione longe superare? Ora nostrorum Po-
 „lonorum semper religionis voce tument & spumant, in rei veritate
 „tamen ignorant quid sit Religio; Hanc nihil aliud esse ajunt, quàm
 „rigidam ceremoniarum, rituum & traditionum à Conciliis & Ponti-
 „ficibus institutarum observantia, quæ tamen sæpenumero ita absurda,
 „ut &

ut & ab Ethnicis refutari queat, ut à Numa, qui, Plutarcho teste, ideo simulachra de templis sustulerit: Quod Deus concipi nisi sola mente nō possit. Et Judæi tales Christianos rubore suffundunt, qui verissimè dicunt quid sit Religio, videlicet, *ad Deum accessus*. Et revera vera religio nō consistit in antiquæ Ecclesiæ stolidæ observantia, sed in cōformitate mentis & vitæ meæ ad Dei voluntatem; quo magis homo se ab homine divellit, & se Deo unit & aptat, eò propior veram ad religionem pervenit. Nihil magis confunditur quàm credere cum Scire, & fides cum opinione, ut & religio cum rituum observantia. Multi imò maxima hominum pars arbitratur se credere, cum fidei suæ articulos sciat, sed scire illud non reddit Christianum, nisi adjungatur illud credere, quod in vera Trinitatis agnitione ac pia consistit vita. Religio quæ præter vanam opinionem nihil (intelligo eam quæ Polonorum mentes hodiè occupavit) & quæ potius chymæricum, quàm hominum mentibus verum infudit zelum, Polonis est curæ, & religiosa vitæ ratio nulli est cordi. Religio si Catholica capit incrementum, cum bonæ vitæ decremento, tunc unanimis opinio circa sacra, & nullum pietatis exercitium desideratur. Benè victurus crede beatam ad vitam pertinentia, quatenus sacro in Codice manifestata, & ita verissimam te nactum esse religionem scias. Cognoscere ac incomprehensibilem in Trinitatem credere vitam ad æternam sufficit, piæ tamen vitæ accessu. Multum de religione garrere est multum insanire. In homine quantum salis quoties expiscari beatus noster satagebat Uladislavus, toties de religione ordiebatur discursum, examinādus rigidus si defensor, pro delirante habebatur hocce ornat^o encomio: Rudentem audiavi Asinum. Et revera Principem Virum ad eò devenustat nihil, quàm de religione sermo. Si Princeps, cujus lingua exercitui gubernando vel tribunali administrando dicari debet, de religione blaterat, idem ornamentum capit, quod ex muscarum venatione Domitianus. Non refragor opinioni, Religionem esse Rerump. tutricem, veræ politiæ gubernatricem, ac virtutem actionum Principis moderatricem. Exulem tantum cupio Religionem supersticiosam, timidam, scrupulosam & opinionem salvifica pro fide venditantem, nec minus detestor artificiosam, fucatam, aras frequenter manibus fatigantem, quæ tamen merentur post terga ligari. Cave alia sit religio in conclavi, alia in templo. Principis est humilem esse erga Deum sine abjectione, & timidum cum generositate in qua prudentum consistit timor.

Summa in devotione nunquam non magnanimitatis tinctura, profapiae suae
 sublimitatem monstrans promicare debet. Ut ingenuè animi explicem
 sentia: Principibus non minus quàm plebi devotionis competit ardor, & ca-
 put coronatum submissione erga Deum magis coronatur, devotio tamen
 Principum fidelem habeat pedisequam magnificentiam pomposumque appa-
 ratum necesse est, quippe coronatorum capitum submitio ipsa in humilia-
 tione dignitatis præ se fert jubar, quo cæteri destituuntur. Ignis quo Deus mon-
 tem accendebat quondam alterius fuit naturæ, quàm qui in vallibus humida ale-
 batur pinguedine, & majestiosa palmi submitio plus, fragrans quàm rosetum
 arridet Cælo. Devotum volo non superstitiosum Regem. Piam desidero non
 stolidè Romano-Catholicam Sarmatiam. Sinito ô Polonia! quemlibet suo ab-
 undare genio & sua gaudere religione, seu potius opinione, & videbis Te fore
 beatam. Credas absolutissimè nec Te nec Romanam Ecclesiam capacem esse
 judicandi, utrum tua an Augustana sit verior religio, nec Tuum ultra beati
 Chrysostomi judicium extendas, qui homilia contra anathematizantes clarissi-
 mè confitetur, nullum mortalium tanti esse judicii, qui veritatem dissidentes
 inter religiones agnoscere valeat, En ejus verba: Id quod absconditum, solus,
 sine periculo dijudicet seculorum judex, cui soli patet & scientiæ mensura &
 fidei quantitas. Unde enim nos sciamus, dic mihi quæso, in omnibus ejus men-
 tem? cum Zosimo quanquam pagano hoc tantum dico: Christianæ fidei hæc,
 est pollicitatio, libertas ab omni crimine atque impietate. Sed nimis circa sa-
 crorum montium saltus sum palatus. Quid si tertiam Daniæ Principem nostro
 suaderem Regi, regiis instructissimam virtutibus? Est juvenis & thoro aptissi-
 ma, tam ratione ætatis, quàm fertilitatis; spes enim est, eam non à matre Regina
 degeneraturam, sed eadem fecunditate Regnum beaturam; Aquilo benè A-
 quiloni, sed perperam Orienti jungitur. Cæteras inter Principes Regi oblatas,
 & circa quas liberum non eo ligatum arbitrium, ut Curlandicam, Moscoviticam
 & adhuc innominatam Gallicam, palmam ducere cerno Danicam. Hæc unica
 est quæ Poloniæ pessundatæ manus porrigere valet, & non Eleonora Mantua-
 na Ferdinandi Tertii Imperatoris relicta vidua; nec ex hoc conjugio fatæ Prin-
 cipes ut Teresia Maria Josepha annos ferè quindecim nata, & Eleonora Ma-
 ria Josepha quatuordecim ferè annorum Princeps. Danica sola par est redden-
 dis amicis, Patriæ ex hostibus, non Claudia Felicitas Ferdinandi Caroli Austriae
 Archiducis Oenipontini defuncti annos quatuordecim nata, ex Anna Medi-
 cæa, filia multo minus Anna Maria Josepha, Philippi Wilhelmi Ducis Palatini
 Neoburgici ex Elisabetha Emilia Hassiaca genita filia, annis nondum plenè nu-
 bilis. Certare quidem videtur Maria Hedwig Augusta filia Christiani Augu-
 sti Ducis Palatini Sultzbacensis, ex Emilia Nassoviensi nata annos ante octo-
 decim ferè, cum Danica, nisi infausta æstimanda & verendum ut eadem sorte
 affligeret Poloniam, quâ Austriam ante biennium, cum matrimonii fidem

Sigismundo Francisco ultimo Austriae Archiduci dedisset, affligeret. Danica praevalet, quae factioni Gallicae, cujus robur sine Suecorum, nullum, resistere est potens unica. Si Suecos lubido, Poloniae insultandi, prurit, cum Holsatiae Duce Danus, quo cum arctissimum, Suecis explosis, initum foedus, illos refrænabit, Germaniaeque exuet terris, praepriis si eadem, quae à Dano cum Electore Brandenburgico, Ducibus Brunsvicensibus, ac Batavis ieta foedera, à Polonis panguntur, adjunctis Moschorum viribus, quae à Dano non leve nanciscentur incrementum, si commercii suus indulgeatur vigor. Hocce matrimonium sanctâ Polonos beare valet pace. Non cantavit Gallus novam ceu contra tempestatem, seu nocivam mutationem, nullâ invidiâ vel zelotypiâ, nisi stolidè ferocire velit, excitatus. Daniae Princeps, quae virtutis con, & absolutum perfectionis opus, nulli Principi Galliae cedere potest, imò nec unam tota nutrit Gallia, quae huic æquiparanda. Sub eodem ferè Dania & Sarmatia climate, longè simillima fovent ingenia. Idem aër, cujus Oceanus parens, eandem instillat indolem. Eandem, quam Poloni, spirant auram Dani. Distantiam, quam Mare facit Balticum, nullam animorum distantiam inducere, credibile est. Eadem Elementa eandem pariunt naturam, hinc eadem apud utrumque tam longos per annos mansit, viguitque libertas. Non ovum ovo magis simile, quam indoles Danica Polonica, ita ut Sarmatia non opus habeat præliari cum Gallica levitate & petulantia, quae gravitati ejus & generositati prorsus contraria. In elocandis filiabus semper faustissimam vidit Daniam Germania cum Anglia, cujus felicitatis nexus, durante nexu Danico, nunquam fuit solutus. Nec est quod de dotis vilitate formetur scrupulus, tantam enim, quantam Germanorum nulla est apportatura. Dos ubiq; est limitata, exigua & ferè nulla apud nullos non Principes. Gallus immensas gazas cucurit, & de ingenti dote suas facit gracillare Gallinas, sed præter inanem, nihil sentitur, sonum, & si aliquis fulgor fulgeat, nihil est nisi aureus imber, quo alter ceu Jupiter nostræ libertatis Danaen devirginare diligit, non obstantibus tot Acrisiis. Si Jagellonica transplantatur stirps, incomparandâ Sarmatiam beavit dote, si pax, affatim apportatur dotis. Hæc pacis erit filia, hæc vita familiæ, hæc salutis Regina. Aquilo aquilas dabit, suis sibi placeat cum gallinis, Gallus, qui strepere licet vellet, nequit, cernens conjugium, suam ambitionem neutiquam feriens impiam, improbam. Nec Cæsaris limi timendi oculi, qui nulli, excepto Gallo & Sueco, invidi apparent. Optaret quidem Sorori cum Lotharingiae Duce sceptrum, sed si titubans illud semper factione futurum Gallicâ considerabit, cessabit hic intemperans pruritus, prælaturus Sarmatiæ pacem suo honori ac incremento ficulneo. Res est clara, nullum matrimonium, hocce Danico, Reip. Polonicae plus fore proficuum. Ast profectior Regis ætas, viduitatisque certitudo Dano est motura scrupulum, non amaturo filiam suam tam lubrico fortunæ niti fundamento. Verum & huic nausæ medicamen præsto, si Rex universa cum

Rep.



Rep. sanctissimè pollicetur, Reginam, si masculâ beatur prole, toto viduitatis tempore Regni moderaturam, fasces, Regisque vices, non aliter ac Sueciæ Regina, obituram: Sin verò improlis maneat Vidua futuro Regi nupturam, quo, genus inter humanum, nullus Principe Neoburgico Palatino aptior, digniorque, utpote qui quasi arboris Jagellonicæ superstes adhuc furculus. Nec est quod verearis, annorum ob inæqualitatem, Regis periculum, tali à thori focia. Non lascivus, sed pius à Dania promittitur amor; pietas amori nupta nefando à tali moliminae abhorret, & peccare me confiteor, quod non erubescam de hujusmodi divinitatis caractere & virtutis simulacro tam impias fovere cogitationes, & tacitè in suspicionem rapere hoc pietatis templum, quasi ejus interiora colubrorum nidus. Hanc sibi electam eat Rex in vivido adhuc vigore constitutus. Hæc Jagellonicæ arbori effœtæ & marcidæ ferè, infinitos est largitura furculos & ramos, ut eorum sub umbra, atra, ab infortunii ardore, Sarmatia se solari ac refocillari queat, spirantibus prosperitatis etesiis. Hæc Regiâ stirpe fata, & auctoritatem & amorem sibi est conciliatura, quo Domus Austriaca cum Moscovia Vatinianum quod erga eas alitur, ob odium, destituetur. Meliorem, digniorem, tranquillitatisque introducendæ aptiorem nullam alit Europa Principissam. Domus Austriaca, præter quod leges, Legislatore tunc Samoscio, quondam sanctæ illam arceant, pabulum factioni Gallicæ & sic infestæ præberet Bellonæ, quam eliminatam optat Polonus, & ex qua nulla salus. Ex Gallia eadem malorum Lerna speranda, quæ Domum Austriacam ad novæ factionis machinationem incitaret, cujus insigne specimen jam Baro de Isola in Polonia exhibuit, metu enormis potentia quæ nulli non vicino merito jure suspecta, cui non difficulter manum præberet auxiliatricem Polonus, qui Gallicæ dominationis pertæsus, nihil plus, quam quod Gallicum abominatur, detestatur, execratur, factâ inductione, quod nulli non Regno, nulli non Principi, matrimonium Gallicum fuerit nocivum ac pestiferum. Britannia suas cicatrices nondum ex Gallico conjugio cernit sanatas nedum deletas. Quid Austriaca Domus emolumentum exinde hauserit quondam, annales loquuntur. Quid fructus capit Dux Megapolitanus? suspiria, deliria. De Portugallo & Sabaudia quid futurum duce, perbrevis es visurus. Et Polonia exemplum omnium instar horrorem injiciet, ne sincera Germania, generosave Sarmatia quicquam habeant commercii cum hujusmodi Clytemnestris ac Messalinis, quæ illud prostituere pro libertate, & fidei violationem pro prudentia vel dexteritate habent. Nuptiæ Gallicæ, nuptias servitutis sunt daturæ Polono, non aliter ac Ruthenicæ quæ nihil, nisi suum Sarmatiæ optant jugum. Curlandica quæ quasi Polonica & Nobilitati parum vel nihil inæqualis, non aliter ac Radziviliana, certas ob rationes, quæ Sigismundo Radzivilianam in matrimonium collocanti objectæ, à thoro Regis excluditur, & si has non moraremur, Regis post fata omnis auctoritatis exors viveret, & sibi & Regno extremam

partura pernitiem. Neoburgica per se exclusa, quia damnata ut Fratri olim Coronam concedat, ita ut cunctis ad examen vocatis nulla à Cælo Sarmaticum ad diadema destinata, quam Danica Princeps videatur.

Non nescio à non paucis Coronæ depositionem Regi suaderi, exemplo immortalis Christinæ & Caroli Quinti. Non eo quidem inficias decumanos à Casimiro esse exantlatos labores, regimen concatenatum fuisse bellum, diademaq; spinis septum, usq; eo ut tali sub onere lassus, dulcem præter tranquillitatem aveat nihil; Ast pensiculatus trutinandum gravitatem Imperij obedientiæ pondere longè esse minorem, & laborem gubernandi auscultandi onere esse inferiorem. Regnandi pruritus hominum in mentibus ita grandis, potens, & immensus est, ut nihil loci nec rationi, nec legibus, nec pietati maneat superstes, evidensq; est cunctis ex, dominio excepto, rebus resultare fastidium. Si omnes qui nauseaverunt Imperium haud fat ingenii nec cognitionis ejus habuerunt; est quippe impossibile ut perfecta cognitio boni, quod ex regimine redundat, stultam concedat resignationem. Imperium calamitosâ licet sit miseriam circumvallatum, aut propter gloriam possidentium & curarum multitudinem, aut propter malignitatem invidorum: attamen nihil in eo tam periculosum ac miserabile continetur, ac in servitute. Qui insudat, & legum sacra regnandi cupidine violare non dubitat tantum propterea, ut sceptrum deinde turpiter deponat, aut est mentis impos, aut caret illud moderandi dexteritate, aut non fat habeat ingenij magnificentiam ejus cognoscendi. Dominium ita nostræ est conforme naturæ, ut ab illo nullus abhorre queat, nisi ab humanitatis degeneraverit idea, quæ ambitionem introduxit illud potius hianti capeffendi ore, quàm degeneri metu vel molli desidiâ deponendi. Et revera, qui renuit regnare, meretur servire. Verum est dominij perdendi metum, illud deponendi præbere posse consilium: Major quippe prudentia est, illud relinquere quod retineri queat ante, quàm amittitur; Ast vilissima temeritas est, vinci à timore, quando in medio adhuc sedetur altitudinis. Cui adhuc fat se defendendi virium, is dignitati, sine inclytæ famæ jactura, renuntiare haud debet; Polonia nondum usque eo attrita, quin spes se se conservandi, metum perdi longè exsuperet. Consideret, quæso, Tua Maj. Regis esse, fortuna & in sinistra & in prospera subditis præesse auxilio, & infra Regis dignitatem esse, discrimine in exiguo deserere suos. Injurius es, Sereniss. Rex, æque in Te ac in nos, & Tuæ familiæ indelebile inuris stigma, si propter delitiosum, quod prætendis, otium, Patriæ Patris exuis genium, & nos miseros auxiliatricibus tuis orbas manibus. Pro vecordi ab omni habebis mundo, proque minus virtuoso. Qui enim nimis suam timet fortunam, is prorsus suæ diffidit virtuti: Ignominiosum foret audire & increpari fortunam, Tuæ injecisse Virtuti, metum, & heroicam generositatem, quæ semper strenuæ fortitudini maritata fuit à timore esse victam. Vilitas hujus actionis, plusquam Impera-

peratoriam expeditionem ultimam, quâ Moscoviam exanimem fere reddidisti, & præprimis quam monstrasti intrepidam ac nullo periculo concutiendam mentem, assultu in Gluchoviensi, cujus hi mei oculi testes, obscurabis, annihilabis. Deniq; si nulla contra metum medela, extrema & ultimum fortunæ præstoleris, quæso, punctum, fatius enim longè est præcipitari, quàm descendere à dignitatis & domini cacumine; Malum quippe quò brevius, eò minus sensibile, & si cadendum est è Cælo cecidisse velim. Sine anchora, velis, & antenna fæpissimè quondam fluctuata Sarmatiæ navis, nec tamen prorsus quassata, sed semper suum est fortita portum. Navarcham Te præbeas, Sere-niss. & si unus tanto non pares periculo ac tempestati, peritum eligas nauclerum, quem Tibi fortis & fidelis suppeditabit Germania. Non equidem Polonia Heroum adeo inops, ut nullus Nobilium huic oneri non impar reperia-tur, sed paritas generis parendi excludit promptitudinem, fætatq; confusionum tricis, insolentiæ proterviam, & procacem, omnis mali matrem *Licentiam*, quæ Sarmatiam adeo hiulcam, cadaverosam, ac ferè emortuam reddidit. Indigenæ denegatur respectus, qui omnem in militia absolvit paginam, nec fides ei adhi-betur, specimine etiam affatim exhibito, quod exactè militarem calleat discipli-nam; Alienigenæ verò, præsertim ex antiquissima Principum, profapia creto, de-bitus dabitur honor, reverentia, obedientia atque fiducia, quæ unicum, imperan-tem ac obsequentem inter, fundamentum, firmamentum. Hactenus de Polonis, quod Cæsar Germanicus de Germanis effabatur, asserere licitum fuit: *Visu tor- vos, sine pudore flagitij, sine cura Ducum, abire, fugere.* Sueci, quod Romani mili- tes, qui sub Silio rebellantes in Gallos tendebant, de Polonis sunt professi, se ex- petere, *ut videant modo hostes adversos, & aspiciant, nam id satis ad victoriam futu- rum.* Unde verò talis degener Polonorum ortus animus? Certè strenui Ducis ex defectu. Memores si fuissent Poloni Chabriæ effati: *Exercitum Cervorum meliorem esse Duce Leone, quàm exercitum Leonum, duce cervo.* Et Demadis, qui defuncto Alexandro M. exercitum Macedonum Cyclopi excæcato adæquavit. Sanè non tantum scrupuli habuissent in eligendo Archistratego etiam extero. Nec est quod objicias, hocce consilium introducendorum peregrinorum legi-bus adversari fundamentalibus; Verum leges temporis, non tempus legibus ac-commodandum. Altera curia, alteræ curæ. Necessitas est legum exors. Prisca si secula modernam Reip. vidissent faciem, non ablonas ab hocce consilio con-didissent leges. Leges benignâ accipiendæ interpretatione, ut casus summæ necessitatis excludant, tum demum vim habent obligandi, cum latæ sunt ad Rei-publ. emolumentum, non si onus injungunt, quod à commo abhorreat. Et leges quæ malum majus aut certius evitant, magis utiles quàm periculosæ etiam publico censerentur debent, quia minus malum rationem induit boni. Nec rationi consonum est nobis hoc esse noxium quod aliis proficuum.

Tacit. 2
14. 5.

Tacit. 3
45. 2.

Plut. a
pophib
66.

Id. Cap
ib.

Cum Venetis Batavia non dubitat peregrinis integrum concedere exercitum. Vix ulla, felici præliatura Marte, Resp. vel Regnum reperitur Germanorum ope absque. Nonne nostra Resp. Germanorum auxilio foedissimam in fugam vertit Ottomannicum Cerberum, Rutenicumq; Draconem? Bauditio Germano Duce semper triumphatrix visa fuit Polonia. Pro oraculo sit Polonis dictum: Sine Germanis hostes non iri expugnatum, & à Germanorum lacertis Sarmaticam sperandam esse tranquillitatem. Smolenscum, qui quondam cepit, & nunc cupiat; fac Germanum obsesorem, per brevi & illum visurus es possessorem. Non absolutum peregrini suad. o imperium, sed limitatum, à Rege & Rep. suas capiat leges, & imperandi circumscribatur arbitrium, sic nullum abs eo timendum periculum, sed potius dulce Regis expectandum otium, & tutum Reip. levamen solamenque. Dux Würtembergiæ Ulricus hanc optimè obiret Spartam, nisi decrepitam ob ætatem fere clumbis, duris laboribus exantlandis inidoneus, & cōstātis animi exors, cuius specimē religionis improvida exhibuit mutatio. Badēsis Marchio Catholicus vices hujus supplere posset, nisi à tali functione nimis vasta corporis moles ipsum arceret, ita ut inter ingentem Principum Germanorum farraginem binos durtaxat reperiam aptissimos, Principem Palatinum Philippum de Sultzbach, & Georgium Christianum Hassiæ Landgravium. Prior bellicosissimus, & militaris disciplinæ peritissimus; sed præter quod Augustanæ confessionis sectator; hostis Poloniæ olim acerrimus fuit, & tyrannicè nostrā in viscera sævit, ita ut Polonicus genius, qui ut generosus, ita vindictæ avidus, omnem ei derogaret amorem, detrectaret obedientiæ debitum, ac pro infensissimo & truci declararet hostem. Nec unquam ipsi favit fortuna, sed Martem semper est expertus contrarium, ut in clade Ozenstichoviæ & Fioniæ. Posterior huic palmam præripere videtur, qui teneris ab annis, tormentorum inter tonitrua, & bombardarum boatum in campo nutritus, à Bellona lactatus, & à Marte informatus; Non melius imperare quàm parere didicit; Ipse est expertus quid sit gregarius miles, & supremus Campi-Dux, cujus strenuam dexteritatem nuper Monasteriensis probavit Episcopus, & cujus fortitudinis sunt admiratores Batavi. Variarum gentium genium & ingenium callet, non sine exacta earum linguarum peritia. In Flandria exhibita strenuæ velitationis tyrocinia adhuc exofculatur Hispania, quæ, eum per biennium fere, sua inter brachia fovit tenerrime, sine ulla, concedendorum Aulæ arcanorum, diffidentia, ita ut Zelotypo Gallo nihil prius nec antiquius fuerit, quàm eum suas in partes nullis non illecebris trahere, summisque honoribus ac muneribus mulctare. Quanti Italia, & præpripriis Cæsaris ipsum æstimet aula, encomio plenæ testantur voces, non tam ob antiquissimam & illustrissimam profapiam, quam si non à Tuistone & Manno, certè tamen ab Arminio, seu nobili Marobodui & Tudri genere derivare potest, quàm virtutem & raras naturæ dotes, quæ *Cattorum, qui penes initia pugnarum o-*

facit de

mnium



annuum locabantur, Heroicas adhuc sapiunt reliquias. Proficiuus & apprimè ne- M.G. 31. 4
 cessarius hujusmodi Poloniæ Princeps, fidelis Romanæ Ecclesiæ est alumnus,
 & maximæ fidei Europæ apud Principes, quæ foederibus in sanciendo, auxilio-
 que implorando absolutissimum requisitum. Hic unis literis plus est effecturus,
 quàm pomposa, ingentibus cum expensis, legatio. Conscribendum per brevi si-
 fter militem, apud quem concinna corporis forma, & gubernandi sagax dexte-
 ritas tantam est conciliativa auctoritatem, ac si alter Achilles seu redivivus præ-
 sto eslet Arminius. Vultus divinitas, ex qua cum majestuosâ gravitate permixta,
 clementissima elucescit civilitas, & comis generositas, bina regiminis fulcra, A-
 morem videlicet & metum parturiret. Gravissimum patraretur delictum, ejus si
 fidelitas in dubium vocaretur, imò fidelis esse cogeretur, si indigenatûs, quo
 quamplurimi indignissimi modo gaudent, afficeretur beneficio, bona enim sic
 sua ceu vestra defendere teneretur, & Patriæ, quia ei hic benè, immemor, Polo-
 niam suam aram & focum agniturus. Hic omni alliciendus conamine, qui con-
 silio & opere mirum in modum est adjuturus Sarmatiam. Cave, inquam, re jicias
 quod sit alienigena. Gallia prudentissimum & maximè fidelem Ministrum ha-
 buit peregrinum. Peregrinis Ducibus suam obtinuit libertatem Batavia. Succia
 gens peregrinorum ope ad hoc gloriæ conscendit fastigium. Cum fidelitate
 prudentia cunctis in terræ oris naturalis est & indigena. Maximæ virtutis ac ro-
 boris res naturale extra solum suam edunt efficaciam. Flumina nunquam suam
 exserunt virtutem, nisi sua ab origine procul, nec locupletant loca, nisi centum
 circiter milliaribus sua à scaturigine distantia. Ignis & lumen quæ hisce in sublu-
 naribus inenarrabilia edunt opera Cœlum suum appellant patrem. Quam mo-
 vent extra sphæram sunt natæ intelligentiæ, & Angeli mundum qui custodiunt,
 non hujus sunt mundi. Qui Patriæ prodesse aptus, ille indigena censendus. Hic-
 ce coadjutor Regem si solatur, seros ad annos suam adhuc est extensurus vitam,
 & Sarmatia pristinam est nactura gloriam, quam cordicitus non sine fervidiissi-
 mo zelo, Cœli à Numine precor. Cæterum Te non fugiat, quæso, Serenissime,
 Tibi imitationem Caroli Quinti, Philippi Secundi, Johannis Armeniæ Regis,
 Brigittæ & Reginæ Christiænæ nullo modo esse concessam, cum hi omnes here-
 ditariis suis resignarint Regnis, Tuum verò est electitium, quod prævio contra-
 ctu es sortitus, ita ut tua dependeat resignatio binorum à voluntate. Vis Te tenet
 obligationis cum vita finire regiminis actum. Reciproca stipulatione astringeris
 scepro, nec illud deponere potes, nisi Te ignominia, ut Henricus Andegaven-
 sis polluere amas, non consentiente toto Regno, quod Te nunquam est dimis-
 surum. Fatum Te destinavit, ut, quia inquietum & maximè turbatum reperiisti
 regnum, illud tranquillum relinquas. Fac modo silere Gallum, & sic factio En-
 dymionis dormitura est somnum. Intestinâ sopita discordiâ, Scythis non diffi-
 culter capistrum injici poterit. Turcæ Borysthenes futura fatalis, vel Smolen-
 scum

aremū-
 as ab
 ren-
 erg. de re-
 ti subsid.
 n. 37.

scum ut Magno olim Solimanno. Studeto Polonia ut negotia revire-
 scant, & argentea aureaque cudatur moneta, sine qua nullum argente-
 um sperandum seculum, quod benè scivère Romani, qui nullius ferè rei
 tantam curam ac solertiam habuère, quam probæ monetæ. Proba moneta sem-
 per felicitis est indiciū regiminis, boniq; Principis. Hinc Hassiæ Landgravius Phi-
 lippus, Principis authoritatem cognosci & retineri tribus hisce notis dicere so-
 litus est: Tuto itinere: Fide promissi: & proba moneta. Unde Carolus Ma-
 gnus in Regio palatio monetam cudi voluit, exemplo Romanorum veterum,
 qui ἀργυρονομείον Romæ in Junonis monetalis templo habebāt, nec Regibus Im-
 perio subjectis jus monetæ fuit concessum, nisi singulari Imperatoris indultu, ut
 titulus decimus Chrysobullæ testatur, in qua Regi Bohemiæ jus istud confirma-
 tur. Polonia verò non erubescit privatis, nebulonibusq; privilegium illud loca-
 re, & ad quæstum prostituere. Corrigatis, obsecro, hoc vitium & Zygoftatas
 constituatis, ut cum bona moneta Justitia & fœlicitas introducatur. In Prussia
 Urbes sua maneant sarta tecta privilegia, nec militibus impiaque onerentur ex-
 actione. In hisce urbibus Poloniæ sita salus & libertatis firmamentum. Turpi-
 ter hætenus peccatum, quod Regiæ cohortes Thorunium, Elbingam & Ma-
 riæburgum sua in potestate habuerint. Si Rex contra jura Regni se Dominum
 absolutum reddere voluisset, nonne optimam viam habuisset, absolutum se no-
 minans tot Urbium Dominum. Exemplo vobis sit Romanum Imperium, quod
 nunquam concessurum est Imperatori, liberis ut Civitatibus suum imponat mi-
 litem. Quælibet sese defendat Civitas; fideles semper sunt futuræ, dummodo
 iis fidelis Polonia. Quid monstrosi affectûs perpererit Jacobini templi apud
 Thorunenses prophanæ & injustissima ereptio, illi, quos cœca non prurit passio,
 sunt judicaturi. Millies deliquit Polonia, & sua in vitia cœca prorsus est, quia
 fatum ipsi vicissitudinem imposuit, voluitq; ut ejus fortuna senescat, nec eodem
 stet loco. Jam satis infortunio litatum, satisq; cruoris Polonica prata bibère.
 Retro nunc respiciendum & resipiscendum, abolitione Numinis Gallici, cujus
 maxima pars Idololatra fuit, & invectione salutiferæ concordia quæ brevi Re-
 gnum beatura. Plura subnecterem de militis legendi ac sustentandi modo, in-
 finitaque alia, sed differo donec videam hæc æqui bonique consulta, effectuique

Max.
 .i.

data, consiliorum enim congeries absque effectu est mera ex arena
 pyramides struere. Cum voto Scipionis Censoris: *Dij*
conservate Remp. finio.



1017

Q. N. 379, 24.

PO

1,
do
RUI
rimo
URBITS
Y.

2)
In
6458
7

STATS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

